

Ann. LXIV. 55. 54. Sed nec verisimile foret, inter primum repentinum decrementum ejusque ulteriores progressus intermissionem interjectam esse status aequabilis, aliquamdiu durantem, quae tamen sola ratio esset, observationes meas ad Ohmii sensum explicandi; nec Ohmius ipse experimentis comprobavit, omnibus circulis tam repentinum decrementum commune esse, quod in quibusdam detegere et per ipsam methodum oscillationum mihi licuit, per quam quadrantis secundae differentias sat bene percipere licet. Sed ubi tam repentina diminutio juncturam statim sequebatur, non solum conditiones aderant, decremento praecipue faventes, sed etiam statim progressus decrementi factus est, nullo statu aequabili interjecto. Itaque quamquam maxime utilitatem methodi explicatae ad metiendam primam intensitatem agnosceens, tamen hucusque nondum Ohmio assentiri possum, solam esse, quae adhiberi possit. Sed ut plane diluatur haec dissensio, optandum, ut Ohmius ipse suo instrumento suaque diligentia examinet, an revera in illis circulis, quos indicavi lentissimi decrementi esse, in quibus e. c. superficies electromotorum et longitudo reducta circuli magna, et aqua laminis interposita vitriolo cupri mixta est, intensitas primo temporis momento per methodum supra explicatam observata discrepet ab illa, quae post aliquot secundas restat.

Ceterum non negaverim, mensuram per oscillationes non tam aptam esse ad primam intensitatem determinandam, ut alia non sit quaerenda, quae breviori tempore absolvatur. Hoc respectu commendanda videtur Nervandri methodus supra explicata, quippe in qua tempus primae oscillationis sufficit ad mensuram, ex limitibus oscillationis facile derivandam, quod secus est in reliquis declinationis methodis, ubi acus per declinationem a flumine galvanico longius discedit, ideoque positio aequilibrum tandem attingenda non media esse potest inter limites elongationum. Haec methodus, si etiam experimento comprobabitur, profecto commoditate multo superior erit methodo torsionis ad intensitatem primam metiendam, nec probabile, severitate inferiorem fore.